



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Pauli Laymanni e Societate Iesu Jus Canonicum
Commentario Perpetuo Explicatum**

Et Uberi Non Minus Ac Varia Qvam Clara Et Solida Doctrina Illustratum

Commentarius In Librum III. Decretalium

Laymann, Paul

Dilingae, 1698

Capitulvm V. Ex parte.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62482](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62482)

SUMMARIUM.

Quando de bonis ingredientis monasterium debeatur Ecclesie parochiali portio Canonica?

Notandum primum. Si quis moriturus professionem faciat in Religione, professio valet, dummodo annum continuum steterit in novitiatu, juxta Trident. *Sess. 25. c. 15. de regularibus*, tamen si toto tempore novitiatus fuerit lecto defixus, teste *Nav. lib. 3. consilio 32. n. 5. de regularibus. Suarez tom. 3. de religione lib. 5. c. 13. n. 8.*

Notandum secundum. Qui Religionem ingressuri, aut professuri sunt, liberè de bonis suis disponere possunt, donando, quibus volunt, ut in hoc c. dicitur. Sin autem non disponendo profiteantur, ac veluti intellectati moriantur, succedit monasterium, si capax sit. *aut bent. ingressi C. de SS. Ecclesijs. c. quia 7. causa 19. q. 2.*

Notandum tertium. Ex ijs, quæ non instante morte, sed sanitatis tempore Novitij aut Religionem ingressuri, monasterio donant, non debetur Ecclesie parochiali Canonica portio. Ita etiam docet *Gl. finalis in c. 1. de statu monachorum*. Adde, cum secundum privilegia & consuetudines Religionum Novitij privilegijs gaudeant eandem Religionum, & in monasterio soleant sepeliri, teste *Sanchez lib. 6. moralium c. 14. n. 4.* ideò Canonicam portionem parochiali Ecclesie non deberi decedentibus Novitijs in Religione, nisi ostendatur, eos in fraudem ingressos, non verò profectendi animo, sed ut Ecclesijs nihil relinquere debeant; quæ de re *Barbosa hic n. 3. & 4. Sylv. v. Sepultura n. 8. causa 5.*

CAPITVLVM V.

Ex parte.

PARAPHRASIS.

Si in Ecclesia v. g. Regularium parochianus sepultus sit, cum id ab Ecclesiastica traditione alienum sit, corpus Ecclesie parochiali restitui debet,

SUMMARIUM.

Parochia habet jus sepulture.

Notandum. Jus Sepulture ad parochiam pertinet, *Clement. unica §. verum hoc tit. & c. 1. causa 11. q. 1.* & tradit *Innoc. in c. 1. hoc tit.* ideò ea erga parochianos suos intentionem fundatam habet, ut sibi corpus tradi debeat ad sepeliendum, nisi altera Ecclesia, v. g. regularis, ostendat causam specialem, ob quam ibi potius sepeliri debeat, videlicet, quia defunctus in ea Sepulturam elegit; aut quia majorum sepulchrum inibi est.

CAPITVLVM VI.
Cum liberum.

PARAPHRASIS.

Cum quidam Monachi cadaver cuiusdam mulieris violenter raptum in sua Ecclesia sepelivissent, mandat Pontifex illud Parochie restitui, unà cum illis, quæ occasione sepulture à Monachis fuerint percepta.

SUMMARIUM.

Notandum. Regulares plerique, nominatim Prædicatores & Minores, privilegium habent in Ecclesijs suis liberè sepeliendi parochianos, qui apud ipsos Sepulturam elegerunt, dummodo quartam canonicam dent parochiali Ecclesie. Habetur latius in *cir. Clement. & videri potest Sylv. v. Sepultura q. 4.* ubi is admonet, quòd Religiosi non teneantur permittere, ut funus prius ducatur ad Ecclesiam parochialem, sicuti etiam colligitur ex *c. in nostram 10. hoc tit.* Quare si presbyteri moniti deferre nolint ad Ecclesiam regularem, ipsi met regulares levare, & deferre possunt, cum alioquin non haberent jus sepeliendi liberè; deinde si parochus corpus ad Ecclesiam suam detulit, quòd regulares cum processione intrare possint, & auferre sine ullius contradictione, nam concessio sine, & quidem liberè; id est, sine ullius contradictione,

Uu ; aut